

V c
218



Qk. 155. 17

V c
218

Q. R. B. V.

SERTUM RU-

TACEUM

Domûs Saxonicae

Insigne,



Incluto

Senatu Philosophico

Suffragante,
in

*prae*lustri Tiliarum Universitate,
publicae Eruditorum *censura*

Exponit

PRÆSES



M. CHRISTOPHORUS Heinrich Starck /

Luneburgâ - Saxo,

RESPONDENTE

ADAMO Rechenberg / Augustob. Misn.

Philos. Baccal.

H. Lq. S.

d. VI. Aprilis clō Idc LXIV.

LIPSIAE,

Literis JOHANNIS ERICI HAHNII.





SEER TUM R.L.

TAGE

Genau Philosophie

M. CHRISTOPHORIS VON G...

Leipzig - 2320

ADAMO DE ...

Palat ...


1722

...

...

...





A * Ω.

A Te principium, in Te desinet

HÆC TUA RUTA!

Frontispicium.



Nulla sunt Reipublicæ tempora, quibus fortuna ejus per vices exercetur. Pacis alterum, & alterum Belli. Pro varietate igitur utriusque varia quoque requiruntur ingenia, diversiqve humeri, qui jam Togati, jam Sagati ferundo esse possint. Tanta verò utrorumque est præstantia, ut, cum ea ab omnibus passim, agnoscatur celebreturque, de Palma inter se decertare videantur. Utrosque in aciem scite deducit disertissimus Romuli Nepotum Cicero Lib. I. Offic. Cap. 14. Nec minor Orator Poëta-Pelignus Ovidius, non minori elegantia Ajacem & Ulysssem de Togatâ & Bellicâ fortitudine contendentes Metamorph. Lib. XIII. Fab. I. in arenam protraxit. Imò in Galliis hoc ipso Seculo in Comitibus Anno XVII. Rothomagi habitis, inter Proceres Regni, nobiles nimirum, (quo nomine ibi non nisi militiâ clari in Comitibus veniunt) & Parlamenta acriter super hac re disceptatum fuit, uti videri potest apud Gramond. Lib. III. p. 182. seqq. Verùm enim verò uti utrisque pro ratione temporis suam fortem debet Respublica; ita Provinciis hisce nostris, imò toti Orbi Christiano Heroas ex Serenissima Domo Saxonica, utraq, fortitudine illustrissimos gratulari possumus ac debemus. Ipsi enim, cum longo temporis tractu in utraque fortitudine ad invidiam usque excelluerint; in-

A 2

Insigni-

*Insignibus quoque habent Suis, quæ geminæ fortitudinis indicia
& incitamenta esse possint; quippè*

Marte nitet Gladius, sed Ruta in pace virescit:

Utraque laus Stirpis propria Saxonica.

*quod Epigramma est M. Petri Albini ad Augustum Electorem Saxoniam,
Comment. novo de Misnia, statim ab initio ante Præfat. Vel ut aliâ inibi
effert facie:*

Saxonis in clypeo Gladiis cur Ruta virescit

Addita? Nemo illô Marte Togâque prior.

Item:

Saxo aptat lateri mucrones tempore belli:

Exornat Rutâ pace vigente Comas.

Hinc ego, cum de *Ense Electorio* fermè ante annum, tanquam de re ad bellicam fortitudinem spectante, ex hac ipsa Cathedra differuerim, jam de *Serto Rutaceo Pacis imagine* agere decrevi. Ampla quidem materia arduaque, cujus ego vix capax esse queam, cum primis ubi mentis nostræ acies aliàs tam imbecilla, ut scientia nostra velut umbra in sole sit, ex subtili calamo nostri *Subtilitatum Architectonis Scaligeri Exercit. I. S. I. p. 4. Exercit. 107. f. 12. p. 938.* Sed spacia quæ per imbecillitatem vacua relicturus sum, humillimâ submissione explebo, adeoque prodibo tenus si non datur ultra: *JESUS* verò *Pacis Princeps* juvenilibus meis Orsis benedicat ex alto: Cujus in nomine exhibemus

Bonis Auspiciis

Sertum ipsum.

Sertum Rutaceum quinque nigris & quinque aureis trabibus impositum, est Insigne Ducum Saxoniam, à Friderico I. Imperatore, Bernhardo Anhaltino ejusque posteris Anno clc LXXX. in Comitibus Herbipolensibus collatum, ad discrimen inter fratres aliosque agnatos faciendum.

Fascia

I.
Fascia.

§. 1. Definitio materia verbalis & realis. §. 2. Serti Etymologia latina. Ruta Græca duplex. Una Hebraica. §. 3. Sertorum materia ex arboribus, fruticibus, herbis, aromatis, variis varia. §. 4. Non ex Ruta. §. 5. Serti nostri Rutacei tres descriptiones. Duæ rejectæ. Una approbata & probata. §. 6. Synonymia. §. 7. Resolutio Definitionis in Genus & Differentiam.

II.
Flores.

Sciagraphematis hujus, quod ita Platoni dicitur in Theateto, §. 1. materia definita est *SERTUM RUTACEUM*. Sertum autem, quam habeat materiam Verbalem, h. e. undè ejus nomen, Grammaticè deducatur, & realem h. e. unde h. l. confertum sit, facile constat. Nimirum

Sertum dicitur à Serto, quod est dense & ordine sero. Coro- §. 2. nariæ enim in ejusmodi sero flores dense atque ordine concinnant. Martinius in Lexico Etymologico. Ex Ruta verò (quæ vel à Græco *ῥύσμαι* libero, aut *ῥίω* traho; vel ab Hebr. *רתר* Chald. Syriac. & Arab. calere, fervere, descendit) totum est contextum. Quod hic apprimè notandum est.

Etenim Sertæ ex regno vegetabili olim non unam sed variam §. 3. accepisse materiam, edocent Tabellæ Temporum. Erant quædam Oleaginea Palladi sacra, undè Statius l. 12. Thebaid. v. 492.

— — *Supplicis arbor olivæ*
vocata est, quod supplicaturi in manibus vel corollam ex oliva vel ramos olivæ tenere, vel etiam his ipsis tempora velare consueverant. Sic Æneæ

— *Oratores aderant ex urbe Latina,*
Velati ramis olivæ, veniamque rogantes.
apud nostrum Maronem L. XI. Æneid. v. 100. seqq. Hedera quoque Sertis materiam suppeditabat, eaque primùm Libero Patri tanquam inventori consecrabantur. Verùm postea usus eorum aliis communi-

municatus fuit. Sui ordinis hominibus h. e. Poëtis Bacchica hæc Sertæ, originem docens pariter & usurpationem, imponit Ovidius Lib. I. Trist. Eleg. 6.

Si quis habet (inquit) nostri similes in imagine vultus,

Deme meis hederas Bacchica sertæ Comis :

Istæ decent letos felicia signa Poëtæ,

Temporibus non est apta Corona meis.

Sed & hedera in frontibus Regum victricibus frondibus excrevisse legitur. Ipse etiam Alexander Magnus ex India Victor reversus, hederâ exercitum coronâsse scribitur. Plin. lib. 16. Nat. Hist. Cap. 34. p. 230. Lauro verò quid frequentius in conficiendis sertis adhibitum fuit? Miscet eam venustissimè cum hedera Homerus noster Mantuanus Ecl. VIII. v. 12. 13.

— atq; hanc, inquit, sine tempora circum

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

Ab omni verò hominum genere sertæ laurea adhibebantur; ad eò grata omnibusq; accepta erant. In triumphis à Victoribus, à Sacerdotibus, à Poëtis tanquam Apollini sacra, & in conviviis ab iis assumebantur, qui gryphum vel convivalem quæstionem probè solvissent, uti est apud Agellium lib. 18. cap. 2. Imò ad inanimata, ad jacula literasq;, & ad ipsa deniq; lupanaria laurum, infra suam dignitatem, applicatam fuisse ex historiis novimus. Sic ex myrto corona ovalis & sepulchralis, ex quercu civica, ex gramine obsidionalis confecta fuit. Ita alia quamplurima vel ex arboribus, fruticibus, herbis & aromatibus conferta sertæ apud Historicos & Poëtæ passim celebrantur. Ex pinu enim alia, alia ex Cypressso, alia iterum ex salice & populo, alia ex spica & pampino; alia ex apio, pulegio & asparago; alia ex rosa, aliisq; floribus, alia deniq; ex Cinnamomo aliisq; aromatibus conferta esse legas. Videantur Plinius Nat. Hist. Lib. 21. Cap. IV. alibiq;. Agellius lib. V. Noct. Att. Cap. 6. & alibi. Paschalius in libris de Coronis. Polydorus Virgilius de Rer. Invent. Lib. 2. cap. 17. alibiq;.

S. 4.

Nos verò uti horum Sertorum specialiore texturem h. l. non curamus, aliisq;ve meritò relinquimus; ita, quod ex Ruta in usum præcipuè publicum, alibi contextum sit, non invenimus. Ut vel ex indè de Dignitate hujus sertæ nostri constare possit, quam cum multis communem habere, Majestas Domûs Saxonica dedignatur. Scilicet
Ruta

Ruta illi fato data, fato Ruta tenenda est,
uti pulchrè in suo canit Epico Fridericus Taubmannus. *Epic. lib. 1.*
Carm. 1. p. 227.

Variè verò à variis describitur. Alii id dicunt *tribus aureis & tribus nigris trabibus impositum.* Alii super *Vexillo flavo nigris quinque trabibus conspicuo sertum Rutaceum transversim ductum esse* referunt. *Albinus Comment. novo de Misnia tit. 16. p. 435.* Alii aliter. Nos, secuti fidem publicam, *id nigris quinque & quinque aureis trabibus impositum esse dicimus.* Rationes prætereà non ficulneas habemus, quibus hanc assertionem nostram probare possumus. Sive enim hæc Insignia ante, sive post, accessionem *Rutæ* consideremus, utrobiq; omninò geminum hunc colorem nobis ipsa depingunt. Ante ejus accessionem *ligna stratoria atro ac gilvo colore variata* erant. *Kranz. Saxon. Lib. V. c. 25. Lib. VIII. cap. 28. & ex eo Dresserus Millen. VI. p. 415.* Ubi gilvus color pro aureo per Synecdoch. Generis pro Specie ponitur. Post ejus accessionem curiosissimi Illustrissimorum Insignium Spectatores, (quos inter meritò *Fabritium in Annalibus p. 16.* nominamus) *auratarum & nigrarum trabium* expressè mentionem fecerunt. Appello fidem publicam. Quid? quod Serenissimum nostrum Electorem omnì exceptione majorem horum Insignium interpretem, *superiores trabes nigras & inferiores gilvas aut aureas nominasse,* ex certa relatione sciamus. Quo testimonio quid certius & illustrius esse posset?

Insignitur *Sertum* hoc aliis quoque nominibus, cum primis à Poëtis, qui id modò appellitant *Coronam Rutaceam,* modò *Ruteam sertam,* modò *Corollam Rutaceam,* modò de *Ruta plectile sertum,* modò *καλ' ἐξοχὴν Rutam,* vel etiam cum additamento *Rutam Saxonam* seu *Saxonicam.* Et hætenus evolutio definiti nostro in *Sciagraphemate.*

Sequitur nunc illud ipsum *Sciagraphema* suo cum Genere suâque Differentiâ formæ Conditrice. Genus est *Insigne.* Differentia petita est à Causis. Causâ Efficiente *Friderico I. Imperatore;* Materiali seu subjecto quasi quò, *Bernhardo Anhaltino,* quasi quod, *totâ Domo Saxonicâ.* Causâ Finali, *discrimine à fratribus aliisq; agnatis & circumstantiis deniq; loci & temporis;* uti in sequentibus videbimus

bimus Lemniscis ex serpto hocce prominulis. Definitiones enim,
sive sint perfectæ sive imperfectæ, persequi tanquam *αεραεισ* im-
mediatas ad scientiam, sapientis est. Scalig. Lib. I. de Plantis p. 210.

LEMNISCUS I.

Sertum Rutaceum Domûs Saxonicae est in-
signe.

I.

Fasciola.

§. 1. Domûs Saxonicae descriptio. §. 2. Insignium Etymo-
logia latina & germanica. Origo, Germanicorum imprimis
insignium, bellica. §. 3. Insignium Definitio. §. 4. Distinctio
varia. Hoc loco in vulgaria & Ducalia, in partialia & tota-
lia, in officii & dignitatis. Ruta ad Ducalia & partialia
pertinet. Officii Electoralis insigne, sunt duo Gladii. Di-
gnitatis Ducalis insignia jam olim splendida. Varia

II.

Flosculi.

§. I. Duo hic explananda sunt: Unum est *Domus Saxonica* tanquam
subjectum, & alterum *Insigne* ejus tanquam Adjunctum. Etenim
quanquam negari nequit *Anhaldinam Domum* sibi quoque *Sertum* hoc
Rutaceum vendicare: Mihi tamen cum Ea impræsentiarum nihil
est negotii, cum potissimum de *Saxonica* agere constituerim, pau-
cula duntaxat de illa inferius delibaturus. Per *Domum* autem *Sa-*
xonicam intelligimus *Serenissimam illam Familiam*, quæ per tot secula
titulo *Ducum Saxonie* gavisa est: in cujus incunabula ut hic proli-
xius inquiram, eaque acciam, neque ætas, neque chartæ angustia
permittit. Exequatur iter hoc is, qui judicii confirmatoris, &
cui de meliore luto finxit præcordia Titan. Ego hoc tantum ad-
do quod ad meum facit institutum. Nimirum postquam exau-
torato *Heinrico Leone Ducalis hæc Saxonie dignitas* ad *BERN-*
HARDUM devoluta fuit, descenderunt ab ipso trini *Alberti* & trini
Rudolphi, Wenzeslaus itidem, omnes Ducali hac dignitate juxta Axi-
oma Electorale inclyti. Hæc linea, ubi per mortem finiebat, Di-
gnitas

gnitas illa ad Marggravios Misniæ pervenit. Inter eos primus Fridericus Bellicosus per Fridericum Placidum filium adeptus est nepotes *Ernestum & Albertum*, in quibus hæc linea Domus Saxonice in *Ernestinam & Albertinam* divisa est. Penes *Ernestinam* permansit Ducalis hæc dignitas cum Electorali usque ad annum Superioris seculi XLVII. ubi in Johanne Friderico Martyre à Carolo V. infeliciter ad Mulbergam victo, finiit. Translata, indè in *Albertinam* lineam VI. Electores hæctenus nobis Augustos, faustos, & felices dedit. Vid. *Kranzius Lib. 5. cap. 25. Saxon. lib. 6. cap. 7. & 38. Georg. Spalat. in Chron. Saxon. lib. 2. Albin. in Chron. Misn. tit. 16. Münsterus in Cosmographia lib. 5. cap. 400. p. 1176. seqq. Sleid. Histor. lib. 19.* Atque hos omnes Ducum Saxonie titulo splendidos sub nomine Domus Saxonice hoc loco intelligimus, sive à Bernhardo usque ad Albertum III. ejus lineæ, sive à Friderico I. Marggravio Misniæ per *Ernestinam & Albertinam* lineam in hunc usque diem descendant, sive Duces tantum sive Electores Saxonie simul sint fuerintque.

Insignia dicuntur à *signando*, ut indicia ab indicando, q. d. in signum. *Insignia* enim signa sunt splendida alicujus familie; vel etiam res strenue gestas & insigniter notatas designant, unde nomen traxerunt suum. Nos Germani *insignia* dicimus *Wappen*/ antiqua scribendi & pronunciandi ratione, etiam hodie adhuc Saxonibus usitata, ut quæ nobis *Waffen*/illis *Wappen*/ f. in p. mutato frequentissime, dicantur. Undè de Origine *Insignium* non obscure liquet. *Germanica* omninò *Nobilitatis* insignia, ut de aliis gentibus nihil dicam, è militia Veterum Germanorum ad nos usque manasse, ex Tacito liquet. Quum enim majores nostri scuta lectissimis coloribus distinguerent, uti sunt verba ejus in *libello de Moribus Germanorum* (quæ fucatas colore tabulas *lib. 2. Annalium* appellat,) & capita variis formis terribilia redderent, insignibus suis materiam tam inferiorem quam superiorem suppeditarunt. Indè usus eorum ad nostra usque tempora non tantum retentus, sed etiam auctus, & sæpè in abusum conversus est.

In genere *Insignia* definiiri possunt, quod sint *Signa summi* §. 2.
Principis autoritate alicui concessa, aut propria voluntate assumpta, personam à persona, familiam à familiis, Civitates à Civitatibus, Collegia §. 3.
B à Col-

à Collegiis varie distingventia. *Limneus*, Tom. 3. *Jur. Publ. Imp. Romano-Germanici* c. 6. de *Insignibus* num. 13.

§. 4. Insignia verò secundum hanc latitudinem multipliciter distingvi possunt. Pro diversa Conferentis autoritate vel Publica vel Privata sunt. Pro diversitate Subjecti alia Secularia alia Ecclesiastica dicuntur. Et quæ id generis plura assignari possunt. Nobis hoc loco sufficiet si 1. inter *vulgaria* & *Ducalia*. 2. inter *partialia* & *totalia*. 3. inter *dignitatis* & *officii* Insignia distinxerimus. Quæ enim præter has insignium dantur distinctiones, eæ aut huc non spectant, aut ex natura subjecti & reliquis circumstantiis determinantur. *Sertum* autem nostrum *Rutaceum* non inter *Vulgaria* sed *Ducalia* recensendum esse Insignia, sola *Domus Saxonica* præeminentia evincit. Sic illud ipsum esse in *partialibus* ad oculum patet exindè, cum ex pluribus constituatur: Nec ad *officium*, *Electoriale* nimirum, sed ad *Dignitatem Ducalem*, id pertinere, confirmat vel ipsa *Ruta*, omnibus *Dignitatis* hujus consortibus communis. Quod autem *Electorii* in hâc illustrissimâ *Domus muneris* Insignia attinet, ea constituunt *Gladii duo stricti & decussatim compositi*. *Limneus* Lib. 3. *Jur. Publ. Imp. Rom. Germ.* c. 10. n. 28. undè *Albinus* *Comment. novo de Misn. Cap. 10. n. 29. tit. 16.* Der Chur Sachsen Wappen ist eine Fahne / so oben schwarz und unten weiß / darinnen zwey rothe Schwerdter überschrenckt. Cum enim potentissimus hic *S. R. Imperii Archimareschallus* in Comitibus ac Processionibus Imperialibus gladium Imperialem evaginatum strictumque in peculiaris Majestatis Symbolum Imperatori præferat, non solum nomen *Protospatharii* sed & insignia duorum gladiatorum accipit. Vide sis *Oratiunculam meam de Ense Electorio*, ubi cuncta de Insignibus plenius.

§. 5. Cæterum dignitatis Principalis jam ab antiquo in Germania nostra supra vulgus nobilium augustiora fuere insignia, appictis etiam tabulis animalium terræ nostræ imaginibus e. g. equis, tauris, ursis, lupis, &c. Hinc *Quintilianus* etiam lib. 6. c. 3. imaginem Galli in scuto *Mariano Cimbrico*, seu quod *Marius Cimbris* eripuerat, depictam refert. Imò ut circa *Regiam Saxonica*

nicam Domum hæreamus, Wittekindus adhuc gentilis in insignibus suis equum atrum, post Christianus, volente ita Carolo Magno candidum habuit, recensente *Kranzio Lib. 2. Cap. 2. & 24. Sax. Georg. Fabricius Lib. IV. Orig. Saxon. p. 440.* ita depingit: Usus est (Wittekindus) pro insigni, gentis more credo, *Eqvo Saliente & in pedes priores erecto*, qui coloris nigri fuit, quem Carolus ab ipsius baptismo in candidum mutavit: Usus præterea more familiaris *tribus foliis nymphaeae, ut vulgus interpretatur, vel ut alii opinantur, tribus fibulis, quibus ornatus in sine pugio aut gladius, quod insigne (hodie) proprium est Comitatus Brenensis.* Vetera autem Orientalis Saxoniae arma fuere tres semicirculi, cum aliquantisper intus angulis circularum rubris, id quod denotat *Kranz. lib. 9. Saxon. c. 19.* Constat proinde Veteres præter animalia aliarum rerum imaginibus in Insignibus usos fuisse. Quæ itidem variae pro varietate occasionum, quæ eam suppeditarunt. Atque inter has *Rutam* quoque nostram referimus.

LEMNISCUS II.

Sertum Rutaceum, Friderico Barbarossæ, suos debet ortus.

I.

Falciola.

§. 1. *Friderici I. Imperatoris descriptio, ejus patriæ, nominum, rerum gestarum, fortune, mortis, collata Rutæ*

§. 2. *Potestas conferendi Ducibus & augendi insignia competit Imperatori in Imperio.*

II.

Flosculi.

Fridericus hic currente Seculo XII. vixit, natus in oppido Weiblingen, Anno ejus XII. Electus Imperator Francofurti LII. Nonis Martii: Consecratus primò Aquisgrani ab Arnolde Archiepiscopo Coloniensi, VII. Idus Martii Dominicâ Latere eodem anno, postea autem Romæ ab ipso Pontifice Hadriano coronatus VI. Calend. Julii, vel ut alii XIV. Julii, Anno LV. Denatus tandem

tandem IV. Id. Junii Anno XC. istius XII. Seculi cum regnasset
 annos XXXVIII. *Dress. Isagog. Hist. Mill. VI. p. I. p. 356. seqq. Hie-*
ronym. Henninges Theatri Genealogic. Tom. II. part. I. p. 45. Christianus
Matthia Theatr. Histor. L. 4. p. 596. seqq. Gente erat Germanus &
 natione Svevus, Friderici Coclitis Ducis Sveviæ filius, domi & fo-
 ris fortitudine bellicâ & togatâ inclytus. Fuit enim princeps
 armis strenuus, acer animo, exercitatus in bellis, in negotiis per-
 agendis virilis, affabilis, mansuetus, superbis resistens, memoriâ
 excellentissimus, velut ipsum describit Abbas Ursbergensis. Un-
 de cum Carolo Magno eum conferre non erubuerunt. *D. Sebast.*
Brandt / de Origine piorum Regum. Dicebatur Germanis **FRIDE-**
RICUS non sine omine, siquidem pacem publicam apud eos fir-
 mavit, imperiumque stabilivit. Sed Itali nomen ejus quasi ad-
 versum omen vertebant, & non **Friedreich** / sed **Kriegreich** /
 vocabant, quod contra illos rebelles sæpè dimicabat, & semper
 victor revertebatur; undè etiam à quibusdam *Malleus Italia* dictus.
 Cognomentum *Barbarossa* seu *Ænobarbi* ipsi inditum itidem à
 perduellibus Italis per contumeliam ob ruffum barbæ colorem.
Schopperus in Chorographia f. 245. In Toga & Bello insigni varie-
 tate fortunæ usus est: Cui prolubio acta ejus & Togata & Bellica
 noscere, adeat is *Isag. Histor. Dresseri d. l. nec non Theatrum Hist. Mat-*
thia d. l. Cum primis autem Compend. Hist. Universal. Joh. Lati in Periodo
Germanica Cap. XIII. Sect. I. p. 374. qui omnia ista tanquàm in nuce.
 Præcipuè verò princeps hic bellicosissimus omnium Bellicosorum
 Principum, quemadmodum illum ita appellat *Matthias Castritius*
Lib. 2. de Princip. Germ. fol. 134. contra utrumque Anti-Christum
Orientalem & Occidentalem pugnavit multoties **FORTITER**, tan-
 dem tamen ex eventu **INFELICITER**; ab hõc quippè (tunc
 Alexandro III.) Venetiis indignissimè habitus; in expeditione
 verò contra illum Tharsi in præfrigida Cydni unda, cum natando
 se refrigerare vellet non sine innumeris lacrumarum sequacibus
 undis extinctus. Alii aliud flumen imó mortis genus referunt.
Videantur de eo adducti & alii Historici, inter eos autem recentissimus
Conradus Theodorus Linckers in notis super Secul. XII. Utque demum
 ad rhombum perveniamus, hic ipse laudatissimus Imperator
FRIDERICUS est, qui **BERNHARDO** nostro ejusque Suc-
 cessori-

cessoribus *Sertum* hoc *Rutaceum* in Insigne ea comitate largitus, eaque fini, quam paulò post videbimus.

An autem Fridericus hoc Jus tunc habuerit, hodieque adhuc Imperatores habeant, ejusmodi insignia vel conferendi, vel augendi, vel mutandi, nobis planè videtur esse extrà dubium, adeò ut id vix aliis, quàm Imperatoribus & Regibus concessum esse statuamus. Evolvantur *Commentarii ad Legem Regiam, & Jura Majestatis*, quibus addi potest *M. Cyriacus Spangenberg / Part. II. Des Adel. Spiegels / lib. 12. Cap. 29. 30.* Is enim materiam hanc copiosè planè tractat, & jus nobilitandi post constitutas Respublicas Imperatori & Regibus jure meritoque adscribit, Pontificibusque impudenti audaciâ id suæ quoque cathedræ ceu throno vendicantibus masculè eripit; *quem sis vide.*

LEMNISCUS III.

Sertum Rutaceum Bernhardus Anhaltinus ab Imperatore Friderico I. primus accepit.

I.

Fasciola.

§. 1. *Bernhardi nostri patria, genus, pater, fratres, merita, res gesta, honores, instrumenta Casarea exautorati Heinrici & creati Bernhardi Electoris, mors.* §. 2. *Collati Serti Rutacei Causa remota duplex, propinqua falsa & vera.* §. 3. *Propter causam tam remotam quàm propinquam Bernhardus noster Serto dignus. Maxime propter fortitudinem bellicam. Fortitudo hæc mater nobilitatis. In Gallicis Comitibus nobiles non nisi milites dicuntur. Militarium virorum ambitio. Bernhardi nostri magnanimitas. Elogium ejus Poëticum Reusneri.*

II.

Flosculi.

Bernhardus hic Ascanius fuit, cujus gentis tanta est canities, ut ortus propemodum occultet suos. Sunt enim qui eos à se

B 3

igno-

ignorari fatentur; Sunt qui ab Ascane filio Gomeri & ex Ascania
Asiæ regione aut pulsam, aut propter loci angustiam spontè di-
gressam deducunt; sunt quoque qui aliundè arcessunt. Sed no-
bis jam Nili fontes indagare non expedit. In propinquo enim
habemus, quæ in illustrissima hac gente satis mirari & venerari non
possumus. Prodiit enim ex ista stirpe, Bernhardi nostri Parens
Albertus cognomento *Ursus & Pulcher*, cujus industriâ & virtute
reliquiæ gentis Henetæ in hæc ad Albim, Viadrum, & Harciniam
ora deletæ, & hæc provinciæ colonis novis impletæ, ad cultum tra-
ductæ mansuetiorem atque Urbibus, Templis, Scholis, Studiis, Le-
gibus, Judiciis & Disciplinis ornatae sunt. Factus est hic *Albertus*
mortuo Primislao I. Henetorum & Obotritorum Rege A. C.
cIo CXLII. Marchio Brandenburgensis, tandem post mortem
Comitis Plæzensis Electoris Marchionis, etiam à Friderico I.
Imperatore in Electorem Imperii inauguratus est. *H. Henninges.*
Tom. II. Part. II. p. 168. Wendelinus Polit. Lib. II. cap. 32. Thes. 8. p. 372.
Ex filiis ejus quinque, secundus Otto Patri successit in Marchio-
nate & Electoratu, ac Henetos, quia ab ulteriori Viadri ripa bel-
lum renovabant, longius iadè repulsos compescuit. Quartus
verò **BERNHARDUS** noster meritis & rerum gestarum ani-
plitudine clarus, post Henricum Leonem Bavarix & Saxo-
niæ Ducem exautoratum, modò laudati Imperatoris Fride-
rici I. decreto & *Electorum & Ducatum SAXONIÆ*, cum primis
ob egregiam in bellis Italicis ad Mediolanum, ubi ejus **SIGNI-
FER** fuerat, navatam operam, unanimi Principum suffragio, con-
secutus est. Utriusque Diploma tum exautorationis à parte
Henrici, tum investituræ à parte nostri Bernhardi scitu lectuque
dignum est, quocirca non pigror ex *Commentario Windechi*
describere. Verba Instrumenti, quo Imperator Henricum di-
gnitate Ducatus & Electoratus exuit, inter alia hæc sunt: *Henri-
cum ob feudi noxiam commissoriam peractam Ducatu Ripariorum & Saxo-
niæ exfestucamus, eum, omnesque ejus posteros dictis Dominis & terris
exspoliamus, & ab eo illiusque generationis hominibus auferimus jus eli-
gendi Casarem, quâ laudis prerogativa ipse ac Pater ejus splendidus exti-
tit, &c.* Datum Würzburgi Anno 1180. Severa sanè sententia.
Verba autem Investituræ, quò Imperator huic nostro, Bernhardo
Electo-

Electorum ac dominium Saxonie confert, ita se habent: In
Bernhardum nobis ac Imperio fidelem ac dilectum Principem, conferimus
tractum Saxonicum ac munus Electoratitium, quæ Heinrico priori posses-
sori, omni jure postulante abjudicavimus, & Te istis gratis ac Juribus su-
blimamus, ob tua fidelia servitia, Justitia exigente, de voce & instigatione
Principum regni nostri. Elogium contra verè summum, perenni-
que memoria dignissimum: quod postea BERNHARDUS noster
non tam imminuit, quàm potius compluribus iisque longè præ-
clarissimis rebus gestis adauxit atque cumulavit: Quas inter
maximè eminet, quod Heinrico VI. Imperat. pecuniâ Anglicâ &
Bohemicâ Imperium Romanum licitanti, utque hæreditarium,
sicut aliorum Regnorum successionem, id faceret, annitenti, acer-
rimè restitit, effecitque, ut quæcunque ea in re promissa, constituta
actave vel sermonibus, vel literis vel largitionibus essent, irrita
planè fierent, addito hoc obice, ut nemo id deinceps tentare aude-
at. Quod quidem factum ob Conservatam Germaniæ liberta-
tem, aliorum triumphis anteponendum censet Georg. Fabricius Lib.
1. Rerum Misnic. p. 16. Primus sedem suam fixit Witebergæ, conce-
dente ei Conrado III. eam provinciam, quæ postea etiam longo
tempore domicilium Electorum fuit. Obiit tandem c. CCXII.
sepultus in Cœnobio Ballenstadenfi cum duabus uxoribus Jutta
Danica & Sophia Thuringica. Atque ita brevi linea ejus vitæ cur-
riculò expeditò, jam nunc ad *Sertum* ipsius *Rutaceum* redimus,
quod ipsum tantum abest, ut non sit è Republica Veritatis, quod
hic noster Bernhardus ab Imperatore *Primus* acceperit & usurpa-
verit, ut potius *Brodusius* explodendus, qui lib. 4. *Geneal. Anhalt.*
p. 116. id nescio cui Alberto adscribere audeat, contra omnium hi-
storiorum concentum, quos quidem mihi hætenus videre li-
cuit.

Quæ autem ejus Causæ, jam nunc investigandum: assignan-
tur illæ à variis variæ. Nos istas distingvimus in *remotam* & *pro-*
pinquam. *Remotam* eamque tum *positivam* in Bernhar-
do dicimus fuisse, Fortitudinem ejus bellicam, exindeque Imperatoris Fride-
rici in ipsum derivatum affectum singularem; tum *Remotivam*,
in Heinrico Leone ejus contumaciam, quæ Majestatis reus &
omnibus suis ditionibus privatus, ansam præbuit, Imperatori hunc
nostrum

S. 1.

nostrum Bernhardum munere Elector o Ducatuqve Saxoniae, ve-
 luti Ottonem Wittelsbachium Ducatu Bavariae mactare. *Calvi-
 feus Chron. Univers. A. 1180. p. 947.* Auctum igitur hoc modo Do-
 minium atqve territorium, insignium quoqve augendorum causa
 sed *remota* extitit. *Propinquam* aiii aliam ponunt. Quidam cum
 virgine quadam Veneta Ducem *corollam Rutaceam* discessurum
 memoriae causa divisisse, indeqve donationi insignium materiam
 suppeditatam esse perhibent. Quorum sententiam cum fidem
 historicam desideret, nostram hoc loco facere nolumus. *Adesis
 Laurentium Faustum in Libello, Erklärung des Fürstlichen
 Stamm-Baums der Herzogen zu Sachsen.* Secundum
 alios & nostro iudicio veriùs dicitur, quod Bernhardus *Sertum*
 hoc ab Imperatore suppliciter exoraverit: Sic enim *Dresserus* me-
 morat ex *Kranzio*: Dux & Elector Saxoniae factus BERNHARDUS
 etiam *trabium, auratarum & nigrarum, rutaceiq,serti* insigne ab Im-
 peratore accepit. Cum enim orasset Caesarem ad pedes ejus
 abjectus, ut aliquo oramento praeter fratres, qui *stratoria ligna*
in Clypeo transversa colore atro ac gilvo variata gerebant, insignire-
 tur, Imperator *rutaceam coronam*, quae erat ornatus in aestu ex
 obliquo iniecit supplicantis clypeo. *Dress. Millen. VI. p. II. p. 415.
 seqq. Kranz. lib. V. Saxon. cap. 25.* Et haec sunt Causae.

Ex qua utraqve tam *remota* quam *propinqua* abunde con-
 stat, quam dignus hoc Insignium auctario Bernhardus fuerit; Per
 5. 3. *Propinquam* quidem id tam venerabunde, uti pium & gratum Vasal-
 lum decebat, ab Imperatore eblandiendo; Per *Remotam* vero il-
 lud tam optime sua promerendo *virtute Bellica*, quippe quae, si ul-
 la alia, ejusmodi Insignium Nobilium oramento atqve augmen-
 to est dignissima. Quod & olim Veteres non nescivere. Hinc
 iis iam more positum fuit, illis, qui pro patria non sine periculo
 fortiter decertassent, clypeum, qui rem optime gestam imagini-
 bus declararet, dare, quem aliis extra militiam domi delitescen-
 tibus denegabant. Inde factum est, quod Clypeum & scutum,
 sine imagine omni & pictura gestarent illi qui militatum abibant,
 donec fortitudinem suam facto approbassent, insigniaque clypeo
 inscribenda meruissent. Imò hodie cum *triplex in Gallia Regnico-
 larum ordo: Clerus, Nobilitas, Populus; Apud eos nullo adjecto nobiles*
 vocan-

vocantur qui arma tractant, nempe si pro sapia valent; Et eorum ordo nobilitas dicitur: Cæteri non milites Clero & Parliamentis adscripti, etsi sunt natalibus nobiles. Verba sunt Gramondi Hist. Gall. lib. 3. p. 182. Cum enim Heroës & viri militares cum vitæ suæ periculo de Republica in bello benè mereantur, & res belli majores esse quam urbanas putent, juxta Cic. lib. 1. Off. hunc honorem præ aliis sibi deberi autumant. Hinc etiam aliquando in examine Virtutis suæ excesserunt & de togatarum Virtutum Studio sis contemptim locuti sunt. Hercules apud Ovid. Metamorph. lib. 9. ad Acheloum:

— melior, inquit, mihi dextera lingua est,

Dummodo pugnando superem, tu vince loquendo.

Et militares viri apud Gramond. loc. cit. in publicis regni Comitibus (quem locum supra quoque tetigimus) togatis vitam dicebant trahi desidiosè languidū, in gloriè tranquillam; dumq; nobilibus rigent frigore membra, dum pro tempore & calore fatiscunt, inedia dum extingvuntur, fame dum pereunt, sub dio nocte interdium insomnes, dum instat jugulo armatus hostis, Senatoribus esse somenta vitæ, qualia desidiosi amant, domos splendidas, instructos agros, suburbanos recessus, amœnam vitam. Illi dum immerguntur delitiis, nobilibus arcta penam vitam inter angustias trahi. Et quæ erant alia eorum tela, quæ in togatos stringebant, uti ea oculis elegantissimus scriptor loco cit. exponit. Hæc verò ideò adducimus, ut videre liceat, quomodo apud diversas gentes olim & nunc fortitudo bellica præ aliis eminuerit, dignissimaque habitata fuerit, quæ illustribus nobilitaretur atque insigniretur decoribus; licet excessum natumque ex ambitione ab usum non probemus. Ab hoc verò planè alienus BERNHARDUS noster. Non enim fortitudine sua aliter quam ad defensionem Imperii ejusque libertatis & familiæ suæ decus & incrementum usus fuit, uti ex superioribus patere arbitramur. Has ejus virtutes & merita, unâ cum historia Rutacea scitè expresit Nicolaus Reusnerus in illius Elogio, quò Lemnisco huic ultimam manum imponere collibet.

Ascanio Princeps Bernhardus sanguine natus,

Primus Saxonici Principis arma gerit.

Juris amans, Divum metuens, animosus in armis,

Libertas Patriæ quò duce sancta viget.

C

Quod

niæ, ve-
Calvi-
dō Do-
m causa
am cum
ffurum
ateriam
fidem
Adefis
tlichen
cundam
Sertum
rus me-
ARDUS
ab Im-
les ejus
a ligna
nignire-
æstu ex
I. p. 415.
dè con-
it; Per
n Vasal-
verò il-
væ, si ul-
augmen-
e. Hinc
periculo
magini-
litescen-
scutum
abibant,
e clypeo
Regnico-
to nobiles
vocan-

Quod manet Imperii Germania laudibus aucta:

Virtuti magni debet id omne Ducis.

Vandalus expertus praestantis robora dextra:

Agnovit Dominum quem coluitque suum.

Auratis Ensis trabibus rutaeque corollae

Ornat & Imperii deligit arma sui.

Imperat octonis quater actis integer annis;

Imperii sedes Urbs Witeberga fuit.

LEMNISCUS IV.

Sertum Rutaceum in Comitibus Herbipolen-
sibus Anno c^{lo} CLXXX. primum in Clypeo Sa-
xonico floruit.

I.

Fasciola.

§. 1. *Herbipolis Friderico I. chara. Alibi, jambic Co-
mitia coëgit.* §. 2. *Ubi haberi possint Comitium. Quae mate-
ria Comitiorum per se, per accidens in Comitibus hoc insigne
collatum. Quando. Ejus descriptio Poëtica Taubmanni.*

II.

Flosculi.

Herbipolin Orientalis Franciæ, quæ hodiè est Franconia,
§. I. Metropolin, Episcopatu & Academia illustrem, Friderico Barba-
rossæ Imperatori præ aliis in oculis fuisse, ex Annalibus abundè
constat. In ea enim non solum Nuptias cum Beatrice unica
Reginaldi tunc Comitis Vesontionis in Burgundia filia c^{lo} CLVI.
celebravit solennissimè. *H. Hemminges d. l. Tom. II. part. I. p. 45.*
sed & complures imperii Conventus inibi coëgit, oppidò memo-
rabiles. Hæc ipsa Herbipolis est, in qua c^{lo} CLVII. tam magno
animo ambitioni Pontificis restitit; cum namque iste in Germa-
niam Legatos misisset, & hi in sermone suo ostendissent, Impera-
torem à Pontifice per coronam accepisse Imperialem authori-
tatem tanquam beneficium, negavit id Imperator, & cum Princi-
pibus hic Wurzeburgi deliberatione habitâ, mox jussit Legatos
Germa-

Germaniã excedere, non se à Pontifice Imperii habenas, sed à Deo
per legitimam Electionem Principum & Ordinum Imperii acce-
pisse confirmans. *M. Dresserus ex Radevico Trisigensi J. H. Mill. VI. part.*
I. p. 359. seqq. Hæc urbs est ubi eodem anno in publica Panegyri
Fridericum Svevum Conradi-Imperatoris antecessoris filium,
in-spectantibus Legatis Græcis in Equitum auratorum ordinem
cooptavit. *Idem Lib. de Urbibus p. 323.* Hæc civitas est, in quã
CLVI. decretum fecit, in solenni conventu Imperiali, ut dein-
dè nullus Pontifex reciperetur, nisi sciente & consentiente Roma-
norum Imperatore aut Rege esset electus: *Idem Millen. VI. p. I.*
p. 359. seqq. Et quæ istiusmodi Comitiam augusta fuere alia, quibus
Fridericus Imperator hanc suam Herbipolin reddere voluit illu-
striorem. Quæ inter meritò & hæc recensemus, ubi se tam mu-
nem præstitit in elargiendis Ducatibus Insignibusque exornandis.

Equidem hanc Insignium exornationem seu autionem ad
materiam Comitiorum tunc pertinuisse vel adhuc pertinere non
sanè dicimus. Illa quippe in causis vel ad conservandum vel ad
redintegrandum Imperium spectantibus occupantur. Nec Co-
mitiam solum ad Herbipolin alligata, possunt in omnibus illis, qui
in Circulis Imperii continentur, locis haberi. *Arumæus de Comi-*
tiis Imperii Romano-Germanici. Cap. 8. num. 6. p. 592. Undè etiam
variarum Urbes à variis Imperatoribus Comitiam destinatae sunt, ut-
potè à Carolo M. Moguntia, à Carolo IV. Francofurtum & No-
rimberga. Per accidens tamen evenisse quod horum ipsorum
Comitiorum tempore hæc herbula Ruta in hac ipsa Herbipoli, non
sine omine, effloruerit, quis amabo ibit inficias? Et quanquam
non in sessione Publica Ea Bernhardo donata, sed duntaxat priva-
tim & quidem quod observat *M. Cyriacus Spangenberg im Adel-*
Spiegel / part. II. lib. 12. c. 31. p. 313. post prandium (nach gehaltenen
Mahlzeit) nihil tamen obest, cum Sertum hoc etiam solummodò
collati Saxoniarum Ducatus fuerit quod Corollarium seu Epiphyllis.
De loco ubi eiusmodi Insignia conferenda, peculiare Caput quod
est XLIII. hic ipse *Spangenberg / quod vide sis.* Cæterum ut
multum quoque in momenta temporis inquiramus, supervaca-
neum duco. Annus fuit duodecimi à Nato Christo Seculi LXXX.
qui quibus & aliis inclaruerit ἀξιωματικότητος, facti consulendi
sunt.

sunt, cum primis Chronologiae Funccii, Büntingi, Calvisii. Item Spangenberg/etiam singulare Caput nimirum XLII. de Tempore hocce consignavit, quod etiam sis vide. Ultramque Serti hujus collati circumstantiam more suo, h. e. tersè contexit Taubmannus ad Christianum II. Ducem & Electorem Saxoniae Lib. I. Epicorum Carm. I. p. 225. Sertum, inquit,

— — — quod Francis (in Urbe)

Quam flumen lambit Mœnum, cui nomen ab herbis

Esse volunt patrii sermonis origine factum,

Et media Imperii tanquam præcordia) vidit

Quattuor à Seclis Fridericum à Cesare Primum

Detractum Capiti vestris insignibus olim

Addere, quæ Clypei campum rutilantis ab auro

Nigra trabum series quino transversa meatu

Dividit.

LEMNISCUS V.

Sertum Rutaceum Bernharδο, Successoribusque eâ fini datum & usurpatum est, ut ipsius domus ab aliis discerneretur.

I.

Falsciola.

§. 1. Insignium omnium finis generalis, & publicorum specialis. Hic iterum nobilitatem vel constituendam conficit vel constitutam perficit. Posterioris generis Ruta nostra.

§. 2. Ea in posteris hereditaria, uti nobilitas ipsa, nec iniquè, contra Bodinum.

II.

Flosculi.

Insignium generalis hic finis est, ut unum ab altero diversum.

§. 1. esse signent; unde supra Lemnisco I. §. 2. nobis à signando dicta sunt. Ea verò quæ in specie publica & nobilia vocantur, præter distinctionem simul honorem publicum autoritate publicâ conferunt. Sed hæc iterum honorem vel constituendum conficiunt vel constitutum affici-

afficiunt perficiuntque. Hujus posterioris generis *Ruta* est Insi-
gne *Bernhardo* & Successoribus ejus datum, non ut honorem seu
dignitatem Ducalem conferret, sed jamjam collatam auget, &
præcipuè eos à fratribus & agnatis discerneret, juxta verba suppli-
cis *Bernhardi*.

Atque ita semel *Ruta* hæc *Bernhardo* concessa, propria & per- §. 2.
petua ex voluntate Imperatoris & more nobis receptissimo, om-
nibus ejus posteris in hodiernum usque diem permansit. *Bodinus*
quidem de *Republica Lib. 1. Cap. 5. n. 43.* solos *Turcas* ex omnibus penè po-
pulis veram nobilitatem, *Virtutis* non generis antiquitate metiri dicit, cum
quò plus à Stirpe virtutis, eò longius abesse à nobilitate posteros putent, avo-
rumque nobilitatem in nepotibus finiant, pronepotes verò ac posteros deinceps
ignobiles habeant, nisi suam virtute ac rerum gestarum gloriam dignitatem avo-
rum tueantur. Verum, quod apud humaniores & Christianas
gentes fortes fortibus creari & bonis, contra morem barbarorum
putemus, nobilitatemque hæreditariam faciamus, iniquum spero
adeò non erit. Vide sis de hac materia quæ habet *Cyr. Spangenberg*
Cap. 32. part. II. des Adels-Spiegels / p. 314. Bernegg. in Miscell.
Quest. 33. Licet & hodie in Hispania Ducalis dignitas nisi reno-
vetur, ad hæredes non transeat. *Wendelinus Polit. Lib. II. c. 35.*
Thes. 8. p. 410. Verum de his plura alio loco, aliove tempore, De-
sino proinde in subsequente.

Mantissa.

Sertum Rutaceum apprimè congruit Do-
mum Saxonicæ.

I.

Fasciola.

Ruta convenit D. S. 1. ut *Symbolum* vigoris. Omen
ejus publicum. 2. ut *Symbolum* Pacis. 3. ut *Symbolum* defensionis
Religionis Orthodoxæ. Illustratio Poetica Stigeli.

II.

Flosculi.

Cujus indolis & quarum virtutum *Ruta* sit

C 3

utq;

Span-
e hocce
us collati
us ad Chri-
I. p. 225.

cessori-
t ipsius

blicorum
m confi-
a nostra.
c iniquè,

liver sum-
ta sunt. Ea
tinctione
Sed hæc
stitutum
affici-

*Utq; virore suum gerat immortalis honorem
Utq; oculos acuat, perimatq;, comesta venenum
Serpentumq; perosa genus vel imaginis umbra
Arceat, in nullo succrescat leta fimeto,*

Quæ Rutæ descriptio nostri est Taubmanni, de iis consulendi sunt Botanici: illas ab ovo ut arcessamus, huicq; fertō annectamus, nostri instituti non est, utpotē qvi duntaxat solliciti; quō-pactō hæc ipsa Domui Saxonica Illustrissima congruat. M. Joachimus Müller in Concione funebri, quam B. M. Beati Johannis Frederici II. Styriæ in Austria M. DXCV. habuit, οὐ γὰρ οὐκ hanc deducit latius, quam perlegat, cui volupe est. Nos Mantissam hanc nullis aliis quam Poëtarum flosculis sumus exornaturi. Rutam ut *Symbolum Vigoris*, quō Illustrissima Domus Saxonica ab incunabulis usq; gavisa est FELICITER! depingit nobis Taubmannus in toties citato Epico, quod dignum sanè ut legatur:

*Ruta virore suum gerit immortalis honorem
Defluvioq; patet, soliorum obnoxia nulli,
Dī quantum fuit augurium, quantum instar in illa!
Quippe sub augusta numerosa Caesaris æra.
Et mundi Sceptris Aquileq; biverticis alis
Saxonie Rutata Domus felicibus ausis
Floruit & floret: post & florebit:
ô unum hoc*

*Quæso representantes meliori numine Votum,
Qvi DEUS à seclis seclorum in secula flores.*

Perennivivi hujus floris atq; vigoris jucundum se exeruit omen in solennissima Divi Augusti Ducis & Electoris Saxonie inaugurati-
one tum c13 13 LVIII. Francofurti ab Imperatore Ferdinando,
tum c13 13 LXVI. d. 23. Aprilis Augustæ factâ, omnibus namq;
vexillis cæteris à præfente vulgo antiquum juxtâ divulsis atq; di-
visis, unicum vexillum, cui *Insignia Serti Rutacei cum auratis
atq; nigris suis trabibus* erant inserta, mansit salvum integrum.
Ex quo spectatores ilicò bonum hoc concepere præfagium, fore ut
Illustrissima hacce Ruta Saxonica vireat, vigeat, floreat, sal-

VA

va, integra, illibata, nullis intermoritura seculis. D. An-
 dreas Müller/ Part. II. Theatri Freibergensis Chronici in Annalibus 1566.
 p. 287. seqq. Symbolum Pacis pro Illustrissimâ nostrâ Domo Saxonica Ru-
 tam facit Michael Barth/ Annabergensis, Professor olim nostræ hujus
 Academiæ Philuræ in Epigrammate ad eundem Augustum Electorem
 Saxonia, tunc bello Gothano præfectum:

Quam benè cum Gladiis Rutacea juncta Corona est!

Enses bella notant, otia ferta notant.

Ensiseri novère Duces bellig, labores

Aurata & quâ pax digna sit arte coli;

Ensiseri decreta gerunt pro Casare bella

*Ornat victoris } lata Corona } caput.
 } rutea ferta }*

Imò in altero ad eundem Augustissimum Electorem epigramma-
 te, vires Ruta Gladiis propius sociat & ferè miscet:

Ensisero fera turba duci fera bella parabat,

Clamq, ferus serpens struxerat insidias.

Arripit ille suos gladios rutamq, duobus

Auxiliis istis, dispulit omne malum.

Hostibus adversi gladii sunt: ruta venenis.

Hostem Ensis strictus, ruta venena necat.

ô Gladii æternum rutilent & ruta virescat,

Nec ferrugo illos occupet, hanc nec hyems!

M. Martinus Mylius in Horto Philosophico p. 455. sub Ruta. Nobis insuper
 Ruta in illustrissima hacce Domo Saxonica etiam est imago Ortho-
 doxæ Religionis, in hunc usq; diem ab omni veneno falsæ doctri-
 næ potentissimè assertæ. Nauten dienet wohl wider den giffte (inquit
 Spangenberg c. 46.) und erinnert die Obrigkeit daran zu seyn/ daß
 ihre Vnterthanen für falscher Lehre mögen gesichert seyn. Id quod
 ipsum, quoniam Ruta hæc Saxonica, hæctenus unice & adeò connisa fu-
 erit, ut nonnunquam etiam pro re natâ Gladios in suppetias voca-
 verit, neminem arbitror fore qui dubitaverit. Beatissimus noster
 Johannes Georgius I. Dux & Elector Saxonie semper Constans & Magna-
 nimus, qui non semel pro sinceritate Orthodoxæ Religionis obti-
 nenda, Serto suo Rutaceo coronatus stetit in armis; cum nuper pla-
 cidis

nsulendi
 annecta-
 i; quô-
 Joachi-
 nnis Fri-
 hanc de-
 am hanc
 Rutam
 incuna-
 mannus in

omen in
 ugurati-
 inando,
 s namq;
 atq;ve di-
 auratis
 tegrum.
 n, fore ut
 at, sal-
 VA

cūdidissimè emoriendo Insignia Electoratus atqve Ducatus Successori Filio his traderet Verbis :

En RUTAM, En ENSEM, Tibi trado, ó Inclute SANGVIS,

Belli-Ensis, PACIS-Tessera-RUTA fiet.

ENSE recide Malum, RUTA propelle Venenum

Sic stabit REGIO, RELIGIO QVE TIBI.

Serenissimus - filius-Successor, Potentissimus-noster-hodie-Elector (ex nonneminis calamo) illa hęc eāqve blandissimā capessebat VOCE.

Hunc ENSEM, Hanc capio PATER-OPTIME-MAXIME, RUTAM,

Belli-Ensis, PACIS-Tessera-RUTA fiet.

ENSE recido Malum, RUTA propello Venenum :

Et sic stat REGIO RELIGIO QVE Mihi.

Salva atqve illibata!

Si ita est, quod M. Joachimus Müller in modò adducta concione memorat, nimirum : *Witteberga Religionem-Virginem stare Serto Rutaceo condecoratam, erectisque in cælum vultibus Justitiam propter, in publico, non minimum hęc ipsa nobis indè præbet iudicium,*

Tuta, fore ut Viridis recubet sub tegmine Rutæ.

Coronidis loco LMqve adhuc appendo Johannis Stigelii Epigramma, in Rutacea hæcce Ducum Saxonie Insignia concinnatum, utpote quod regales eorum ortus in Auro, Virtutem in Trabe nigricante, samam in immortalibus Rutæ foliis graphicè nobis depingit:

Multa quod attrivit vivaci secula laude,

Saxonie insigne est hoc specimenq; Domus.

Aureus est clypeus pulchro discrimen in auro,

Secernunt nigras aurea tigna trabes.

Quas super obliquo trajecta & pendula tractu

E foliis Rutæ nexa corolla nitet.

Res pretiosa aurum, regales indicat ortus,

Et columnen celsæ Justitiamq; Domus.

Qve

*Quæ duo Saxonica splendent è stemmate Gentis
Aurea nascentem lux velut ante diem,
Umbra aurum distincta nigrans Virtutis imago est,
Omnia iudicio quæ moderante facit.
Sed laudem ad plausu partam, famamq; perennem
Ex Ruta solis texta Corona notat:
Gloria Virtuti dedit hoc insigne merenti
Pro patria charis, quæ gerit arma sociis.
Plus meruit Pietas, adversis cognita rebus,
Hac Duce Ruta potens nulla venena timet:
Ruta viget quamvis vento quatitur & imbre,
Ruta viret, quamvis sæva repugnet hyems.
Elegans sanè Epigramma dignum quod in auro legatur.
Sed jam nunc tandem Terminalia sunt.*

TIBI

LAUS, HONOR, GLORIA.

A * Ω.

A Te principium in Te desinet HÆC TUA RUTA!

Ω

*Felicis Ruta incolumes, JESU, effice Ramè
Ingenti cumulent, utilitate solum.
Venturis vigeant invicti letius horis,
Exurgat laudum major ubiq; seges!*

Fiat JO! Fiat!

D

Carol-

Quæ

1. **F**Riderico I. Imperatori ad omne decus summa in doles
fuit. *Petavius Jesuita part. I. Ration. Temp. L. VIII.
Cap. 20. p. 555.* Quomodo itaque Hildebrandolatra & ju-
ratus Curiae Pontificiae Advocatus, societatis suae more &
jure, Jesuita esse potuit? Nisi mutatus ipsi cum caelo ani-
mus fuerit, & Romae ut Romae, & Pontificiis in locis nego-
tiisque pontificium in modum, senserit; quem in modum
responderunt Jesuitae coram Senatu Parisiensi, inter quos
Dion. Petavius, apud Gramond. L. 15. p. 677.

2. De bello Turcico nemo melius Philippo Melanch-
thone *in epistolis ad Camerarium. De ejus causis, p. 376.*
Fieri non potest, quin puniantur tot seculorum *ειδωλο-
μανια*, libidines & parricidia. *De remediis, p. 545.* O Jesu
Christe, fili DEI vivi ac aeterni, cui nos, nostrae Scholae, Ec-
clesiae domesticae & publicae, supplices sumus, exaudi ge-
mitus piorum, & nos rege & serva.

Aenigma.

Lumine *Luna* notho crediste posse volucrum
Ladere *Reginam*, quae gerit arma Jovi?
Falleris, *haec* oculis radiati lumine *Solis*
Sustinet, haud curans *lumen* in orbe *nothum*.

EN! Tibi *Ruta* novo jam Vere *Augusta* vi-
relcit;
Sub *Ruta* haec vireat Ver Tibi perpetuum!

D. SAMUEL Lange | P. P.
& p. t. Rector.

Solem Aurora praeit: sequitur nunc Ipse, novusq;
Se prodit acer lumine,
Altius aethereas & frena attollit in auras,
Et verticem affectat poli.

PRINCIPE quid majus, quid **SERTO PRINCI-**
PIS? illo

Non Cnossum altius micat.

FRID. RAPPOLT, S. S. THEOL.

Licentiatus, Prof. Poës. Publ. Collegii
Major. Princ. Colleg. & Scholæ Ni-
colait, Rector.

Pugnans de *Ruta* ex Cathedra, qui *Principis*
Ensem

In Cathedra Orator stringere promptus eras.
Utraq; res magna est, & non nisi Principe digna;
Propriaq; hoc Ducibus Palma coronet opus!

Suo STARCKIO verè Suo gratulab.
f.

M. VAL. ALBERTI, Dial.
& Metaph. Prof. Publ.

F I N I S.

222/2/4

Solum Aurora prae: sequitur...
Se prode nec lumina
Alma Mater...
Et certum affectu...
PRINCIPIS quid magis, quid SECTO PRINCE
1125 110
Non Cuius sum aliter...
colat. Regor.

FRID. RAPFOLT, S. S. THEOL.
Licentiat, Prof. Publ. Collegii
Major Princ. Colleg. & Schola Ni-
colae. Regor.

Dignas de Rura ex Cathedrali, qui Principis
Enferis
In Cathedrali Orator stringere proprius erat.
Utique res magna est. Et non nisi Principis dignas
Proprius, hoc Ducibus Palms coronet opus!

222 STARCKIO 1125 222 gratias.

M. VAL. ALBERTI, Dial.
& Metaph. Prof. Publ.

FINIS

222



2
25
Alma
PRINC
D
In
L
P

ULB Halle 3
004 779 819


1077

m.c





Ch. 155

SE

M. C

A



RU.

M
cæ



phico

rsitate,
ira

einrich Starck/

gustob, Misn.

XIV.

HANNI

